



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Quia mediat inter Deum & mundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

EVA. Profitebatur Advocatam Franciscus Seraphicus de quo scribit *S. Bonav.* in *ejus vita cap. 9.* In Matre Domini post Christum præcipue fidens, eam sui, ac omnium Advocatam constituit. Profiteatur & nostrum unusquisque & cum *Jdiota cap. 1.* affectu tenero illam precetur. Trahe me post te, ô Benedicta Virgo, ut pervenire di mihi ad te augeatur celeritas. Sicut enim nemo venit ad tuum Filium super benedictum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodam modo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tu tuis sanctissimis precibus traxeris eum.

3. Quia mediat inter Deum & mundum.

Fidelis planè & potens Mediatrix Dei, & hominum Christus, inquit *Bernard.* *serm. 1. de verbis Apoc.* Sed Divinam in eo reverentur homines potestatem: Deus noster ignis consumens est, quidni vereatur peccator accedere, nè quemadmodum fuit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? opus est Mediatrix ad Mediatorem Deum, nec alia nobis utilior quàm Maria, quid ad Mariam accedere trepidam humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. *Bonavent.* in *Spec. cap. 5.* Maria fidelissima Mediatrix salutis veluti fidelissima columba inter fidelissimum Noe, & mundum diluvio submersum. Eva autem velut corvus in diluvio infidelissima fuit mediatrix perditionis. *Antipater Bostrensis* sic Angelicum Ave gratia plena *serm. de S. Joan. Bapt.* Ave quæ tuo primo Parenti exhibes defensorem, ave quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum, ave quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem & Divinitatem. Indè *S. Anastas. Sinaita. lib. 6. hexam.* Adhortor Judæum & Græcum, seu gentilem ut quærat, & possideat Mariam Adjutricem, quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum. Et *pauli post.* Adjutricem quæ parit filios vitæ & hæredes vitæ æternæ; Adjutricem quæ Magos fecit Apostolos, & facit Publicanos Evangelistas, redditque meretrices Virgine honestiores. *S. Ephrem tom. 3. de laudib. Virg.* ita Virginem salutat. Ave mundi Mediatrix gloriosissima, ave mundi salus, ave universi terrarum orbis Conciliatrix.

Ad hanc nos ducit *S. Damasc. orat. Hippat.* Mariam in Patronam ac Mediatricem assumamus, & certæ Adjutricis loco habeamus. Jam dicamus cum *Basilio Seleuco.* Ave inter Deum & hominem Mediatrix intercedens. Quia ut *Arnoldus Carnotensis Abbas Bonæ Vallis Discipulus S. Bern. in tract. de laud. B. V.* Securum accessum jam habet homo ad Deum, ut Mediatorem causæ suæ, Filium habet ante Patrem, & Matrem ante Filium, Christus nudato latere ostendit Patri latus & vulnera, Maria pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi occurrunt & perorant omnia lingua disertius hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia.

Hæc est ut loquitur *Richard. à s. Victore cap. 39. in Cant.* Mediatrix, & media inter Divina & humana. Ut *Epiphan. orat. de laudib. B. Virginis.* Mediatrix cæli, & terræ, quæ naturaliter unionem peregit. Ut *s. German. orat. de Præsent. B. Virginis.* Ablatio lachrymarum nostrarum. Ut *Andreas Cret. serm. 2. de Assumpt.* Fideiussio pignericitia Divinarum reconciliationum, Currus Dei decies mille millibus multiplicatus, quia millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum. Ut *Buteo in hymno.* Pons homines à terra in cælum traducens. Ut *Ephrem in laud: B. V.* Salus firma omnium Christianorum ad eam recurrentium. Ut *Gregorius V 11. lib. 8. Epist. 21.* Salus omnium electorum.

Proinde salutemus eam cum *Andr. Cretens. orat. de Annunc.* Gaude Maria lætitiæ instrumentum, per quod gaudium iudicij commutatur. Gaude Divinum propter Deum & homines conciliationis Perfugium.

4. Quia finem mundi differt.

Dixit alicubi *s. August.* Mutat Deus tempora, sed non mutat consilia, permittit se exorari in nostrum bonum, minatur vulnera, & facit clementiam, ostendit se mundum velle perdere, & Mariæ precibus ejus interitum differt. *Thomas de Kempis de disciplina Claustr. cap. 14.* Nisi Maria quotidie cum Sanctis in cælo pro mundo oraret, quomodo mundus stare posset, qui tam multis peccatis Deum offendit, & tam parum se emendat? certè jam ad exitum disponebatur, & Mariæ precibus conservatus.

Rem fusiùs prosequar, quam *Cartagena Spinellus, & alij* ad laudem Virginis prosequuntur, & *Spinellus* quidem in edit. *Neapol. fol. 208. seu cap. 16. n. 20. A. D. 1112.* terræ motu inaudito multæ Ecclesiæ & Civitates subversæ sunt. *Leodium* vim aquarum passum. *Sanguineæ* nubes conspectæ. Anno 1113. 9. Kalend. Maij tanta nix circa *Tornacum* cecidit ut etiam silvas fregerit. Anno 1117. apud *Ravennam* & *Parmam* Junio mense 3. Idus in agris & intra mænia sanguine pluit ad mediam noctem cælo sereno, & stellis lucentibus, decimâ quâ lunæ facta eclipsis, sed contracto orbe multis coloribus, sed maximè sanguineo pænè totâ horâ suffusa. 13. Kal. Jan. 1. noctis horâ igneæ acies in acie à septentrione in ortum procurrentes apparuerunt, per totum deinde sunt dispersæ cælum. *Hæc ex Nauclero.* Illa verò eclipsis contra naturam fuit, nam una die citiùs, quàm per naturam fieri posset. *Ex Baronio tom. 12.* Apud *Longobardiam* per 40. dies duravit terræ motus. A. D. 1117. *Villa* una grandis de suo loco, in alienum transijt. *Mediolani Viri Patritij* cum sub quadam turri consultarent, omnes audierunt unum è sui medio evocari ignorâ